

jam tot annos facinus extitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium necesse, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges & quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa quanquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui, tui: nunc vero me totam esse in metu propter te unum, quicquid increpauerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod à tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe, si est verus, ne opprimar; sin autem falsus, ut tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit?

Plura exempla occurrent apud alios. Apud Xenophontem voluptatis & virtutis persona introducuntur. Apud Ovidium famis, somni & invidia. Apud Virgilium fama. Apud Lucianum lingua. Apud Plutarchum. Virtutis & fortuna. Apud Cic. Ver. 1. una Sicilia, altera Siculorum, &c. prosopopœia introducuntur.)

CAPUT XXXI.

ADDUBITATIO

est deliberatio nobiscum, cum dubitare & nescire nos aliquid significamus: Græcè dicitur *Ἀπορία*: ut; *Eloquar an sileam?* Virgil. *Quò me vertam nescio*, Cic. pro Cluent.

Psal. 139. 7. *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à faciè tua fugiam?* 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es: Si in infernum lectum straverò, ades.* 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitaverò in extremis maris:* 10. *Illic etiam*

MANUS